



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quatenus Ecclesia Christi potestatem habeat in S. Cœna ordinandi,  
moderandi & dispensandi 74

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



ram ac Christianã communionẽ cum omnibus, qui se Christo Domino adiungunt, & tanquam verę oues vocẽ eius audiunt & sequuntur, libẽtissimẽ obseruant. Porro vt errores & abusus contra verbũ Dei introdu-ctos, & fugiant ipsi, & alij ostendant, ac palãm redarguant, id ipsius Domini mandatũ est. Quamobrẽ qui ea in re cum ipsis concordare noluerit, is neque cum Domino consentit, sed alienus ac peregrinus est, quẽ oues Christi non audire, sed fugere ab eo debẽt. Aduersarij contendunt, Vnitatẽ & concordiaẽ Ecclesię conseruare esse, Omnia ea recipere, ample-xari & obseruare, quę dicti sacerdotes in cõmunem ac publicũ vsum vnquã perduxerũt, & adhuc hodie perducunt, etiam si directò, & ex dia-metro, quod dicitur, cum verbo ac mandato Dei pugnet. Eos verò v-nitatem & communionem Ecclesię dissipare atq; cõuellere, qui vel ab vnico illorum abusu recedunt, quantũvis manifestè verbo ac p̃cepto Dei aduersetur. Caterũ veris Christianis cognitũ est, Quod vnitatem Ecclesię seruare in eo positum est, vt Christiani se inuicem in Christo Domino tanquã fratres & cõmembra agnoscant, in vera & Christiana dilectione, in communicatione doctrinę, Sacramẽtorum, & disciplinę Christi, in Oratione, promotione vitę & conuersationis Christianę, atque omnium eorum, quę ad hoc quoquo modo conducere possunt.

Adducunt etiam Aduersarij, quod D. Augustinus contra temerarium & p̃sumptuosum quẽdam Vrbicũ, hoc est, Romanum scripsit, qui propemodum omnes Ecclesias incessabat, & cõtumeliosissimẽ vilipen-debat, propterea quod in die Sabbathi non ieiunabãt: de quo tamẽ nul-lũ habebat verbũ Dei. Quid verò hoc ad eos attinet, qui doctrinę Libri Reformationis adhærent? Non enim pro humano figmento pugnat, sed pro expresso mãdato Domini, eoque quod saniores Ecclesię, ante mille ducentos annos, pro mandato Domini agnouerunt & obseruarunt, con-trarium verò ad obseruandum nunquam decreuerunt.

Ad hæc non lacerant Ecclesias verbis iniuriosissimis, quẽadmodum Romanus iste faciebat, quem D. Augustinus redarguit, sed mandatum Domini omnibus hominibus declarant & æquissimis, non iniuriosissi-mis verbis ex S. Scriptura petitis illos coarguunt, qui se illi opponunt, & reluctantur. Aduersarij verò multa millia Christianorũ & Ecclesiarũ condemnant, propterea quod ab ipsorũ abusu recedunt, & p̃cepto Christi rursus apud se locum dant. Iam igitur pronuntietur sententia pro quibus, vel cõtra quos scripserit Augustinus.

*Quatenus Ecclesia Christi in S. Cœna ordinandi ac moderandi potestatem habeat.*

CAP. LXXIII.

**A**DVERSARIJ, quò suo abusu suco quodam patrocinari, eumque Ecclesię adscribere commodẽ possint, externas quasdam ordinationes Domini introducũt, de quibus Christiana Ecclesia partim aliquid mutauit, partim penitus ex vsu & consuetu-dine dimisit. In quo triplicem falsitatem committunt. Prima est, (quam



tamen argumentis magis insinuant, quam apertis verbis proponunt) Christianam Ecclesiam habere potestatem, omnia illa mandata Domini, quæ externa vel opera vel signa concernunt, tam mutandi quam omittendi. Altera est (quæ expressis verbis proponitur) qua Distributionem Calicis prohibere inter eas res numerant, in quibus Ecclesia ex spiritu Sancto ordinandi, dispensandi, ac moderandi facultatem habet. Tertia est, quæ res quasdam ut ordinationes Domini introducunt, quæ neutiquam tales sunt.

*Responsio ad primam partem.*

**Q**uod Ecclesia Christi potestatem habeat in omnibus rebus externis ordinandi ac moderandi, hoc est dispensandi, non autem eas mutandi vel penitus omittendi, quãdiu videlicet ordinationes Domini sunt, id certum est. Quid autem est vera in talibus rebus ordinatio & moderatio, hoc est, dispensatio? quid item confusio, ac dissipatio? Christiana dispensatio est, quando externarum à Domino præceptorum observatio ita temperatur, & instituitur, quantum ad circumstantias tēporis, loci, modi ac rationis pertinet, ut tãtò melius eo modo observari possint, quæ mandavit Dominus: ut quæ finem, in quem ordinatæ à Domino sunt, vel observatione, vel prætermissione earum tanto commodius feliciusque adipisci possimus. Nam dispensare aliquid, moderari & ordinare, est aliquid rectè instituere, & ad peculiarem suum & assignatum finem convenienter dirigere. Quamobrem ubicunque ordinationes istiusmodi & moderationes in iis rebus, quas Dominus ipse commendavit, traduntur, per quas vel omnino vel aliqua ex parte, quod à Domino ordinatum est, prætermittitur, vel ad eum finem, in quæ ab ipso institutum, nõ pertingitur, ibi certè confusio est ac dissipatio, nõ dispensatio.

Huius rei exēplum videamus in S. Cœna. Ibi mandavit Christus idem hoc facere, quod fecit ipse: non quidem eodem tempore, aut iisdem omnino ritibus: neque denique omnibus illis adhibitis, quæ Dominus & ante, & in, & post hanc actionem fecit ac locutus est. Iam in eo ipso, quod Christus fecit, fierique mandavit, cuiusmodi est doctrina, gratiarum actio, panis & calicis dispensatio, ac memoriæ eius celebratio, de his inquam omnibus vel aliquid mutandi, multò minus penitus omittendi, nullam auctoritatem Ecclesia habet. Gloria enim Patris sui ea observare præcepit, ut testatur Paulus. Quoniam verò Ecclesia talem commissionem habet, ut externa omnia, & quicquid in Ecclesia peragendum est, ita instituant, ut ad ædificationem fidelium profint: debet etiam in S. Cœna ita ordinare, moderari ac dispensare, quò illa pie & ad ædificationem utiliter administrari queat. Ex hoc fundamento primum omnium ordinavit Ecclesia de tempore, quo Sacramentum istud ita & in eum finem administraretur, in quem principio fuit à Domino institutum. Ordinavit igitur Ecclesia, ut iis temporibus celebraretur, quibus homines adhuc ieiuni sunt. Quæ tempora quilibet agnoscit ad devotionem, religionemque magis esse accommodata, quam sint ea post sumptum cibum.

Deinde



Deinde cùm tractatio S. Cœnæ, diuinissima maximèque spiritualis actio esse debeat, omnium quæ in ecclesia Iesu Christi peraguntur, decorum sanè est, & ad augendam deuotionem accommodum, vt sola & per se, sine publica commestatione, vel aliis humanis negotiis pertractetur. Quare non solum D. Paulus, verum etiam Catholica ecclesia decreuit, vt apud S. Cœnam nulla alia conuiuia fiant, nè pro pauperibus quidem, nè ue vlla corporalia negotia tractentur. Eiusmodi sunt veræ dispensationes, hoc est, ordinationes & moderationes quantum ad S. Cœnam pertinet. Ad finem enim huic sacramento propositum efficaciter tendunt.

Tertiò. Quandoquidem non ordinauit Dominus, quoties, aut vbi S. Cœna administrari, cuiusmodi doctrinæ, preces, gratiarumq; actiones, & qua forma ibidem adhiberi debeant, neque etiam alias ordinationes & consuetudines, sacramenta conficienda, ministrandi ac percipiendi præscripsit, quæ tamen vtiliter obseruari possunt, rursus conuenit Ecclesiis Christi, & vnicuique per se, vt hac in re dispenset, hoc est ordinet, moderetur & disponat, quibus diebus, cuiusmodi, & quàm multis lectionibus, precationibus, hymnis, & gratiarum actionibus, aliisque decentibus rationibus ac formis hæc omnia pertractari, sacramenta consecrari, ac dispensari debeant: quò maiori cum deuotione mentis, ac pleniore pietatis proeuctu apud quemuis populum hæc omnia exerceri & obseruari queant.

Hinc est, quòd quædam Ecclesiæ tantum diebus Dominicis, quædam aliis quoq; diebus sacrâ Cœnâ celebrarint: aliæ has, aliæ quæsdâ lectiones, preces, hymnos ac ceremonias adhibuerint, quæ adhuc nostro quoq; tẽpore in libera omniũ ecclesiarũ dispensatione sunt constitutę.

Ad hunc modum potestatem habent Ecclesię etiam in aliis ritibus, quamuis à Deo ipso ordinatis & commendatis, cuiusmodi sunt, externi conuentus, dies festi, impositio manuum, alięque id genus ceremoniæ, dispensandi moderandi & ordinandi, quando, vbi, quomodo hæc omnia obseruari debeant. Et quoniam ad bonum & vtilitatem hominum vsurpanda & obseruanda sunt, sicut etiam propter salutem ac felicitatem eorum sunt à principio instituta: Ecclesiã non minus auctoritatem habet interdum omissionem istarum rerum concedendi, sicut Dominum de feriatiõne sabbathi fecisse constat.

Quòd verò propterea in potestate ecclesię positum sit, integrum aliquid, tamque excellens sacramentum, cuiusmodi est calix Domini ex populo Christi penitus remouere, ad eò vt nunquam ministraretur: & qui id ministrare tẽtaret, tanquam hæreticus & schismaticus condemnaretur, id neque Angeli, neque homines in æternum probabunt, vel aliquod eius rei laudabile exemplum in medium proferre poterunt.

Dominus equidẽ nõ minori religione calicẽ in manus suas sumpsit, gratias egit, ac discipulis suis dedit, quàm de pane fecerat. Præterea ad hoc sacramentum mysterium, omnium beneficiorum suorum, redemptionis nostri, & communicationis vitæ æternæ, pluribus, clarioribus, magisque solẽnibus verbis enuntiauit, quã vel ad panẽ, vel vllum aliud



sacramentum & symbolum gratiæ. Ad sacrum Baptisimum non plus dici commendauit, quàm, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Ad impositionem manuum nullum peculiare verbum ordinauit. Ad panem Eucharistiæ nõ plura quàm accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, vel frangitur. Ad calicem verò dixit, *Accipite & bibite ex eo omnes, Hic est sanguis meus, vel nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Vides Christiane Lector, quàm clarum quàmque insigne Euangelium Christus ad hoc sacramentum ordinauerit, vt merito sanctissimum & excellentissimum Euangelium agnoscat & censeatur. Quoniam enim verbum, postquam accedit ad elementum, sacramentum efficit, sequitur, vt quanto excellentiora sunt verba, tantò præstantiora sint & sublimiora ipsa sacramenta. Quamobrem nulli Christiano, nulli Ecclesiæ vel Angelo permissum est, sacrosanctum hoc sacramentum penitus è medio tollere, populòque Christi subtrahere, quod Dominus ad vten- dum suis tã serio mãdauit & instituit. Potestatem quidẽ habet Ecclesia in sacramētis, quẽadmodũ & in aliis externis ordinationibus Christi dispẽ- sandi moderandi & ordinandi, nõ autẽ ea penitus è medio summuẽdi.

Secundò. Non licet Ecclesiis pro arbitrio suo, sed tantum ex rationabili causa, nempe ad ædificationem apud populum Christi Domini nostri promouendã, in mandatis Domini, quẽ res externas concernũt, dispensare moderari, aut ordinare. At quid ædificationis excogitari potest, quàm Christiano populo illud adferre possit, quod sacrosancto sacramento sanguinis Christi spoliatur? contra apertissimam institutionem Christi, & puriorum atque à verè Christianis Episcopis administratarum Ecclesiarum consuetudinem & vsum? quem sicut à Christo Domino, & Apostolis eius ab initio acceperant, ultra mille ducentos annos per vniuersum mundum obseruarunt, & adhuc hodierna die in multis & magnis prouinciis obseruant.

Anno-  
nius in  
Chronica  
sua par-  
te 2. titu-  
lo 16. cap.  
5. D. pri-  
ma: scri-  
bit Nor-  
mannos  
cum duce  
suo Vil-  
helmo:  
nocte qua  
bellũ pra-  
cessit va-  
casse ora-  
tionibus  
& mane  
Dominico  
corpori  
sanguini  
etiam  
commu-  
nicasse.

Si periculum effusionis prætentatur, ne per eam sanguis Christi de- honoretur, id certè longè maius fuit apud veteres S. Patres, quorum tẽ- poribus semper tam multa millia simul communicabant, quam sit no- stro tempore, quo populus tam raro communicat. Nihilominus tamen non ausi fuerunt veteres isti periculo tali ratione succurrere, vt pro- pterea sanctissimum hoc sacramentũ ex populo Christi per- tus amo- uerent. Cũ tamen veram contumeliam & ignominiam Christi præ- cauere, non in speciẽ tantũ, vt hodie, proh dolor, multis, sed maximo- perẽ ac summè cordi fuerit. Cũ è contra Papæ & prælati isti, qui eo tempore illis Ecclesiis præfuerunt, in quibus diremptio & dimidiatio sacramenti exorta est, etiam grauissimam blasphemiam & offensionem Christi parum admodũ curauerint: id quod longè miserrima gregum Christi dissipatio nimis manifestè declarat.

Si verò dicatur cum Gersono, istam sacramenti despoliationem eò conferre, vt sacerdos maiori in pretio & existimatione habeatur, quàm laici, manifestum tamen est, quod sacerdotibus perinde vt laicis, Ca- licem non ministrant: atque ita calicis dispensationem penitus tollũt, quan-



quantūque in ipsis est, ex Euangelio tollunt, quod Christus calicem dederit, darique præceperit, & vt omnes ex eo bibant, cōmendauerit.

Ad hæc istiusmodi discrimen Sacerdotum & Laicorum, contrarium est proprietati ac naturæ huius Sacramēti vnitatis & cōmunionis Christi, per quam nos omnes vnus panis & vnum corpus sumus. Quam ob causam omnibus Christianis sicut vnus panis, ita etiam vnus potus proponitur, vt in perceptione huius Sacrosancti Sacramenti nullum omnino discrimen inter Sacerdotem & populum sit, aut iudicetur. Verum D. Chryostomus aliquantō melius, quàm Gerson hanc rem intellexit, atque etiam id quod Dominus & Apostoli Ecclesiis commendarunt, diligentius fideliusque obseruauit. De quo legatur Homilia eius 18. in secundam Epistolam ad Corinthios.

Atsi quis dicat, Bonum esse calicem Domini dispensare ac valere ad tollendum istum errorem, quo homines putant corpus Christi sanguine destitutum esse; quam causam Aduersarij innuere videntur: demonstrari tamen non potest, illum errorem vnquam extitisse.

Quamobrem cū nullæ rationes excogitari queant, quibus Ecclesia merito impelli debuerit aut potuerit, ad calicem Domini penitus ex populo Christi summouendum, solent alij versutiores veritatis hostes, qualis est Pighius & Alphonsus, ad hoc confugere, vt dicant, Ecclesiam longo iam tempore calicis dispensationem omisisse. Ecclesiam verò errare non posse: Consuetudinem igitur istam & in posterum retinendam esse, siue rationibus ac causis fulcita sit, siue eisdem destituta. Sed neutrum eorum, quæ dicunt, verum est. Ecclesia enim vt Ecclesia Domini nostri Iesu Christi, hoc est, fideles, quatenus membra Christi sunt, & spiritu eius aguntur, hanc sacrilegam calicis spoliationem nunquam vel introdixerunt, vel approbarunt, sed eiusmodi homines id fecerunt, qui non per ostium intrant in ouile, sed per alios cuniculos furtim irrepunt. Adhæc omnes Ecclesie & Christiani, quandiu in hoc mundo viuunt, adhuc erroribus implicari & adherere possunt, quatenus fragiles sunt & multa ignorantia laborantes homines. Longè grauiores abusus & errores, quàm iste sit, falsi Ecclesiarum Præpositi induxerunt: verum id non fecerunt tanquam Christiani, & à Spiritu Christi impulsī, sed tanquam errabundi homines, per innatam cæcitatē, & astutias Satanae in errorem abducti.

Quando igitur Aduersarij Despoliationem calicis per hoc excusare volunt, quod potestatem habeat Ecclesia, in eiusmodi mandatis Domini, quæ res externas concernunt, dispensandi, ordinandi & moderandi, responder Ecclesia Christi, se quidem potestatem habere in huiusmodi mandatis Domini, quæ ad res extraneas pertinent, dispensandi: non autem penitus tollendi & abrogandi, quemadmodum Aduersarij calicem Domini nostri Iesu Christi tam à Sacerdotibus, quàm à laicis profus abstulerunt.

Secundò, Non potest dispensatio, moderatio vel Ordinatio Ecclesie iure appellari, per quod edificatio Ecclesiarum Dei promoueri auge-



rique nequit. Iam verò nemo est, qui vel vnicam ædificationis partem demonstrare queat, quæ ex hac subtractione calicis ad Ecclesiam reddere possit. Quin potius immensus & detestandus error ex ea est extortus, non tantum grauissimi schismatis, ac crudelissimæ persecutionis verorum Christianorum, quæ in & post Concilium Constantiense oborta & secuta est: verum etiam eius, quod homines in eum errorem abducti, ac postea in eo confirmati sunt, perinde ac si Missa aliud quoddam & insigne sacrificium sit, non autem Cœna Domini, in qua Sacrosancta Sacramenta tantummodo ad fidelem perceptionem confici ac dispensari debent. Per quem errorem omnis pietas ac timor Dei, veraque fides de redemptione facta per Christum penitus dissipata ac deuastata est. Necessè igitur est, vt totalem hanc calicis Domini, ac dispensationis eius sublationem, sinamus esse grauissimum sacrilegium, & abominandam operis ac mandati Iesu Christi peruersionem: nemòque vllò fucò ordinationem seu dispensationem Ecclesiasticam ex ea faciet, etiamsi multa millia filiorum Dei, ac verorum membrorum Christi sacrilegium istud ex ignorantia, sicut etiam alios abusus, longo iam tempore tolerarunt, ac simul exercuerunt.

Iam verò videamus exempla, quæ Aduersarij adducunt, ab probandum, Quòd Ecclesia potestatem habeat in iis mandatis Domini, quæ res externas concernunt, ordinandi ac moderandi, vel eas interdum penitus tollendi aut omittendi.

Primum omnium introducunt Baptismum, ac de eo ita loquuntur, ac si mandatum Domini velit, quemlibet hominem prius doceri, quàm baptizetur.

Alterum est, Christum Dominum præcepisse, vt baptizandi omnino in aquam immergantur.

Tertium, Quòd etiam mandauerit ter repetitis vicibus in nomine Patris, Filij & Spiritus S. intingere. Quæ tria sint ab Ecclesia mutata.

Quartum, Apostolos verba Baptismatis quoque mutasse, propterea quod tantummodo in nomine Christi baptizarint.

Harum quatuor citationum nulla vera est. Primum enim non hoc vult mandatum Christi, vt quilibet homo antequam baptizetur, doceatur, quemadmodum Aduersarij cum Anabaptistis affirmant; sed quod Apostoli debuerunt primum omnium prædicare Euangelium omnibus gentibus: ac deinceps qui ei credidissent, facere Domino discipulos, ac baptizare: verum non minus liberos quoque illorum, quando eos Domino adducere voluissent.

Omnis enim qui credit ac baptizatus est, is iam verè est filius Abrahamæ, & in eo fœdere Dei inclusus, quo seminis quoque sui Deum se fore pollicetur. Hoc est quod Apostoli Ecclesias docuerunt, à quibus ipsa accepit, vt infantibus quoque baptismum ministret. Quæ consuetudo sublata esset, vicissentque Anabaptistæ, si hoc verum esset, quod Aduersarij ipsis hoc loco concedunt, nempe mandatum Domini postulare, vt omnis homo antequam baptizetur,



ent, prius doceatur. Porro quod Aduersarij ex Nazianze no citant, suadente vt paruuli quibus nullum imminet periculum, per triennium, vel paulò plus aut minus seruentur, quo & mysticum quid audire & respondere possint, vnicuilibet in promptu est videre, quid puer triennis in fide doceri aut confiteri possit. Quare Catholica Ecclesia hanc Nazianzeni opinionem nunquam secuta est? D. Cyprianus longo tempore ante Nazianzenum ex S. literis & traditionibus Apostolorum agnouit, infantes statim à partu piè baptizari posse. Lib. 3. Epist. 8.

Secundò: Neque immergere per se, neque ter repetitis vicibus id facere, præceptum Domini est. *Βαπτίζεις* enim prout sacramentum regenerationis esse debet, aspergere quoque & perfundere significat, qua significatione Apostoli ipsi, & antiqui Martyres hanc vocem vsurparunt, & intellexerunt. Falsum verò est, quod Aduersarij D. Cypriano adscribunt, nempe, Ipsum eos etiam rectè baptizari declarasse, qui non toto corpore in aquam immergerentur, sed aqua Baptismi tantum perfunderentur: propterea quod totius corporis immersio interdum non admodum benè cederet infirmis plerisque: hac enim de re ne vnicum quidem verbum in ea Epistola habetur. Sed interrogatus erat D. Martyr, Vtrum ij qui in infirmitate & languore baptizati fuissent, habendi essent, legitimi Christiani, propterea quòd aqua saluari non loti essent, sed perfusi. Ad quam quæstionem responderet, *Asperisionem aquæ instar salutaris lauacri obtinere, modo donum Dei integra fide ibi & detur & accipiatur.* Vide Lector Epistolam illam, quam Aduersarij citant, quæ est septima libri quarti. *Gregorius prius prius li. i. epist. 81. quem loci citant aduersarij reititit omnino trinam immersionem in aqua baptis. propterea quòd hæretici eam arguunt, inquit se morem nostrum ordine 50.*

Iam quemadmodum ex ordinatione Christi de Baptismo concludi nequit, Vnumquemque primum omnium esse docendum, ac deinceps baptizandum: vel quod baptizandi omnino in aquam immergendi sint, vel semel, vel tribus distinctis vicibus: sic etiam probari non potest, Apostolos eum baptizandi modum, quem instituit Dominus, videlicet in nomine Patris, & Filij & Spiritus S. immutasse. Baptizare enim in nomine Christi, quemadmodum Apostolos fecisse, aliosque vt hoc modo baptizari se permitterent, hortatos fuisse legimus, nihil aliud est quàm baptizare ac baptismum percipere, sicut præcepit Dominus: & propterea in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ex his omnibus perspicuum est, Aduersarios ex omnibus his quæ de Baptismo adduxerunt, nondum comprobasse, quod Ecclesia madatum & institutionem Domini circa Baptismatis administrationem mutauerit, multò minus aboleuerit, penitusque e medio sustulerit, quemadmodum Aduersarij de Calicis dispensatione facere audent. Mandatum enim Domini non vult, vt quilibet baptizandus prius doceatur, antequam baptismum percipiat, neque vt penitus toto corpore in aquam immergatur, idque vel semel, vel tribus distinctis vicibus, quæ quondam fuerunt, suntque adhuc nostro tempore liberæ consuetudines & ordina-



tionem Ecclesie. Non magis demonstratum est, Apostolos aliter quam Dominus præcepit, baptizasse, videlicet in nomine Patris filij & spiritus sancti. Alioquin enim non in nomine Domini, & iuxta præceptum ipsius baptizassent. Reperiri igitur nõ potest, Apostolos aliquid solum de mandato Domini circa Baptismum immutasse.

Porro quod Aduersarij de iis adducunt, qui ab hæreticis Baptismum perceperunt, perinde ac si scripturæ magis consentaneum sit, tales à Christianis ministris rebaptizari, cum tamen Ecclesia contrariam consuetudinem obtineat, id ipsorum tantummodo figmentum est, & nihil in hanc causam importat. De tali enim Baptismo ab hæreticis ministrato ac percepto nullum habemus mandatum Domini, quod vel immutatum aliquando sit, vel prætermisum, aut penitus è medio sublatum. Ad hæc S. literis consonans est, verba & sacramenta Domini propter minus idoneum ministrum inefficacia non esse. Quapropter veteres quoque huic sententiæ astipulati sunt quemlibet Baptismum, iuxta præceptum Domini ministratum pro Baptismo Christi habendum esse, siue bonus, siue malus Christianus sit, siue hæreticus, siue existens in communionem Ecclesie qui eum administravit.

Post hæc circa S. Cœnam nonnulla proferunt Aduersarij, vt est lotio pedum, quam Dominus ante Cœnam peregit, tempus item vespertinum, quo Dominus Cœnam suã celebravit, habitus quoque dicumbendi, quo vsus est Dominus. Quibus rursus conantur hominibus persuadere, quod Ecclesia externas Christi ordinationes mutavit, atque etiam penitus aboleuerit. Quod tamen ex his non magis, quam ex Baptismo concludi potest. Primum enim quantum ad lotionem pedum pertinet, constat, eam apud Christianos nunquam pro vniuersali sacramento habitam fuisse. Cui testimonium perhibent omnes antiqui, qui hæc Domini verba (si ego magister & Dominus laui pedes vestros, & vos debetis alterius lauare pedes) de promptitudine obsequij, quod nobis inuicem præstare debemus, quodque Dominus vilissimo hoc lauandi pedes ministerio significauit ac docuit: non autem idcirco præcepit, vt præcisè idem istud signum exerceatur & vsurpetur. Ad hæc etiam si Lotionem pedum pro signo quoque vsurpare vellemus, nihil tamen aliud est, quam symbolũ dilectionis & obsequij nostri erga proximum, non autem sacramentum donorum Christi, quæ per id nobis exhibere & tradere vellet, cuiusmodi est calix Domini. Præterea quæcunque vera sacramenta sunt, ea non debet vnusquisque alteri: sicut Dominus de lotionem pedum loquitur, sed publicus minister Christi nomine ipsius vniuersæ Ecclesie Dei administrare. Iam verò Dominus de Lotionem pedum ita locutus est, Et vos alter alterius lauate pedes.

Neque etiam verum est, ex D. Augustino colligi posse, vt Aduersarij scribunt, Christianismum istud opus (Sic enim istis hominibus excellentissima & Christianissima opera sunt, quandoquidem libentius bene significant, quam bene operentur) non aliam ob causam intercessisse, quam ne putetur esse rebaptizatio. Scribit enim D. Augustinus, quof-



quosdam noluisse hanc consuetudinem recipere, ne ad ipsum sacramentum Baptismi videretur pertinere: Non dicit, Hunc ritum propterea abolitum esse: sed, Nunquam vsu receptum: neque etiam rebaptizationis meminit. Verum hoc hominum genus quicquid placuerit pro arbitrio & scribunt & loquuntur: eos enim ad quos scribunt, sperant nostram Apologiam non lecturos.

De tempore vespertino, modoque discumbendi, etiam nihil mandauit Dominus. Neque enim dixit, Hoc facite hoc vel illo tempore: discumbentes, aut sedentes, stantes, aut flexis genibus: sed simpliciter, Hoc facite in mei commemorationem. Apostolus nullibi dicit, quod vel Corinthios, vel alios docuerit, ut S. Cœnam præcisè eodem modo celebrarent, sicut ipse accepisset à Domino, sicut aduersarij beato apostolo Paulo verba sua peruertunt, sed dicit: à Domino accepi, quod & tradi di vobis, Hoc, hoc dixit, non hoc vel illo modo, multò minus eadem omnino ratione & modo, ut aduersarij perperam ponunt. Ex quibus iterum manifestum est, Eos neque de ritibus Cœnæ Dominicæ quicquam protulisse, quod ad id probandum valeat, Ecclesiam habere potestatem ea mandata Christi, quæ res externas concernunt mutandi & rogandi.

Tantumdem efficiunt citando alios quosdam externos ritus, cuiusmodi sunt sanguine & suffocato vesci quod aliquando prohibitum fuerit. Sabbatho dièque Dominico operari: viros apertis, mulieres verò velatis capitibus orare. Constat enim ordinationem de non manducando sanguine & suffocato suo tantum tempore mandatam fuisse. Sabbathum verò nec Dominus, nec Ecclesia omnino sustulit, quemadmodum aduersarij de dispensatione calicis fecerunt. Sic nemo est, qui ordinationem de velando vel retegendo capite tollat, quam Paulus ad Corinthios docet.

Si quis esset, qui vinum bibere non posset, & tali solus panis Domini porrigeretur. Item, Si corporis infirmitas, vel alia quædam necessitas opportuna loca & tempora excluderet, S. Cœnam Domini vtiliter & cum fructu administrandi: & tunc in eiusmodi casu vniuersa Cœnæ administratio differretur, hæc sanè esset Ecclesiæ in hoc sacramento dispensatio, quæ illi iuxta exemplum & verba Domini de sabbatho licita esset & concessa. At integrum sacramentum, cuiusmodi est dispensatio calicis Christi, vniuersæ Ecclesiæ penitus subtrahere, id ei nullo modo licet. Quare cum hoc Sacramentum integrè administrandum sit, donec veniat Dominus, nulla ratione cum ista apostolorum ordinatione, comparari debet, qua præceperunt apostoli, ut abstinere à sanguine & suffocato: quod iam dudum desit esse præceptum Spiritus Sancti.

His omnibus planum factum est, aduersarios hæc ambo sine fundamento scripturæ ac veritatis posuisse, nempe quod Ecclesia in omnibus mandatis Domini, quæ externos vel ritus vel opera concernunt, potestatem habeat abrogandi, omittendi, interdicens: ac rursus auctoritatem vsurpandi, instituendi & obseruandi ea de quibus nullum extat omnino mandatum Domini. Instituire quidem & ordinare eatenus Ec-



clesia potest, quatenus ordinationes eius in eum finem efficaciter tendunt, ut mandata & ritus quos tradidit Dominus, decenter & ad ædificationem obseruentur, nullo modo aut penitus antiquentur. In hoc consistit Ecclesie dispensatio: non autem eò se extendit, ut vllum eiusmodi mandatum Domini prorsus, abolendi & interdicendi potestatem habeat & facultatem.

Sic etiam illud cum veritate pugnat, Quòd dispensationem Calicis omittere, vel prohibere sit pro dispensatione Ecclesie habendum & iudicandum. Eius enim vtilem ad ædificationem causa demonstrare potest.

*Quod alteram speciem sacramenti Christianis in genere auferre graue sacrilegium sit.*

C A P. LXXIV.

**I**TAQUE Calicis Christi dispensationem omittere vel interdicere, est ac semper manebit grauissimum sacrilegium, què admodum Papa Pelagius agnouit: cuius decretum omnino pro veritate Christi, cui Liber Reformationis adheret, facit: tantòque grauius damnat Aduersarios cum omnibus asseclis & complicibus suis quam eis contra quos Decretum istud ab initio factum est, quantò grauius est, quod non solum ipsi calicem Domini non sumunt, sed aliis quoque sumere interdicit. Hic Papa Pelagius non dicit, eos tantummodo sacrilegium committere, qui calicem Domini non vnà cum pane ex superstitione quadam percipiunt. Meminit quidem eos contra quos tunc temporis Decretum istud fecerat, ex superstitione quadam hoc fecisse. Verum non idcirco eos sacrilegij crimine liberauit, qui calicem Domini in S. Cœna, non quidem ex superstitione, percipere omittunt. Id enim nemo, qui modò calicem Domini, permittente natura sua, & iuxta verbum Domini percipere valet, nisi ex superstitione, vel temerario contemptu præcepti Christi, facere potest. Quandoquidem vt iam antea probatum est, nulla vtilis ad ædificationem promouendam causa proferri potest. Clara enim ac manifesta est institutio mandatumque Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum etiam pia ac sedula imitatio Catholice Ecclesie Christi: Orientalium quidem Ecclesiarum à principio vsque ad hæc nostra tēpora: Occidentale verò vsq; ad illud tēpus, quo Antichristus, non in hoc tantum, verum etiam in aliis grauioribus ac maioris momenti negotijs ordinationem Domini corruptit ac peruertit.

Iniuriam quoque faciunt Aduersarij D. Cypriano, in eo quod scribunt, Eum propter hanc causam illos redarguisse, qui superstitiosa abstinentia à vino, aquam loco vini in calice Domini vsurpabant, quod in externis rebus aliud constituere voluerint, quàm Catholica Ecclesia Christi obseruabat. Verum propterea illos reprehendit, ac erroris inde conuicit, quod in hoc sacramento aliter agebant, quàm Dominus præcepisset. Atque idcirco testatur, Quod si Christiani, & serui Dei esse ve-

limus.